



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

VIII. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

B. Isaias Bonerus ut conceptum Deiparæ amore novis flammis instauraret, ejus sinu Filium tenentis imaginem, quam præ oculis semper haberet, eo situ pingi curavit, ut sagittam igneam ex arcu parvulus jacularetur, coram hac icone dum oraret Isaias, concinere auditi sunt Angeli; *Ave Regina Angelorum*, quâ is dulcedine perfusus in sublime rapiebatur, ægro adfuit Deipara, & clientem ad cœlum invitavit. *Nadasi.* Ille securus cœlum post mortem exspectat, qui nunc vivit in cœlestibus.

O B. Isaias vides quàm cor meum in JESU & MARIÆ amore frigidum rigeat, ora pro me ut divina Mariani amoris sagitta ita cor meum feriat, ut omnem ad vanitates affectum, eaque omnia, quæ JESUM & MARIAM corde meo pellere, aut me à rerum æternarum desiderio avocare possent, penitus exurat. O Sanctissima &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Angelos Isaiæ auditos æmulaturus Marianum illum hymnum: *Ave Regina Cœlorum*, si non novies, cum totidem Angelorum choris, minimum semel hodie recitabo.

Maria pro nobis effecta est Paradysi scala, cœli janua, inventrix mundi, Dei ac hominum verissima Mediatrix. *B. Laur. Justin. ser. de Ann.*

Questio: An Christus aliquando Matris honorem suo prætulit? *v. Barri. An. Mar. p. 2. c. 22.*